I. N. J.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

exhibens

Positiones

DE

SUCCESSORIBUS ALLODIALIBUS ET FEUDALIBUS

breves,

vulgò

Von Landt- und Lehn-Erben/

quas

DECRETO

MAGNIFICI

JCTORUM ORDINIS

in Incluta Altdorffina

PRO LICENTIA,

Supremos in UTROQUE JURE HONORES

& PRIVILEGIA DOCTORALIA legitimè

capessendi,

Publicæ Censuræ submittit

JOHANN. JUSTUS BEINHARDT,

Rudolstadio-Schwarzburgicus.

D. 14. *Mens. Octobr.* A. CIↃ IↃC LXXXI.

Horis Lq; consvetis.

4.

AltdorfI, Typis HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.

DEO

ET

PATRIÆ.



D. T. O. M. A.

DUm, relictô forô, iterum conſcendo cathedram, fateri neceſſum habeo, quod utiliora, inq; foro frequentiora tractare praſtet, quàm tricis immorari, ex quibus nemo doctior, nec Respublica beatior evadit. Illas ergo ſpeculativis ſolum ingeniis, (quibus dulce eſt animo peregrinari, & corpore emori) relinquendas cenſeo, non immemor verborum Paul. in l. 25. pr. ff. de liberat. leg. & Ulpian. in l. 1. pr. ff. de ſuſpect. tutor. *Atq; cum quotidiana eaq; non minus utilis ac neceſſaria materia* de Succeſſoribus allodialibus & feudalibus *non infimum, propter ſui ipſius commendationẽ, inter cæteras obtineat locum, operæ pretium fore confido, ſi de ea quasdam duntaxat theſes, loco Diſputationis, ut ajunt, Inauguralis, pro anguſti temporis & inſtituti ratione propoſuero. Quippe aliàs facile evenire potuiſſet, ut pagellæ plus juſto excrevisſent, atq; non velitationem quandam, ſed potius alicujus operis abortum redoluiſſent. Priusquam vero rem ipſam aggrediar, Divinum Numen calidis veneror ſuſpiriis, jubeat cœpta hæcce fauſta eſſe ac fortunata!* THE-

THESIS I.

SUccessionis vocabulum multifariam in Jure nostro recipere significationem, plus quam notissimum est. Ut enim *vulgares* vocabuli *Succedere* acceptiones in prospero aut minus felici eventu taceamus, de quibus *Lexicographi* passim agunt; Successio quandoq; (1) in *genere* pro surrogatione in alterius locum accipitur, qua significatione omnium rerum atque personarum surrogationem complectitur, sive in officium aut dignitatem, sive in aliud quodcunq; jus fiat. Vid. *Valentin. Förster. de success. lib. 1. c. 1. n. 2. & 3.* Quandoq; vero (2) *specialiter* ad illum surrogationis restringitur modum, cum quis respectu personæ in re aliqua succedit, per *l. 3. ff. quæ res pignor. vel hypoth. l. 4. ff. de magistr. conven. atq; l. 6. ff. de Jure Fisc.* Unde appellatio succedanei defluxit, quæ in *d. l. 4. ff. de magistrat. conven.* habetur. Quandoq; denique (3) *usitatius* atque frequentius ad acquisitionem vel universi juris, quod defunctus habuit, vel rei alicujus singularis refertur, quo sensu successio in *universalem* & *particularem* dividitur. Utriusq; definitionem proponit *Valentin. Förster. lib. 1. de success. c. 44. n. 1. & seqq.* ubi insimul *num. 3. & cæteris subseqq. usq; ad fin.* successionis genera, tum ex ultima voluntate, tum etiam ex contractibus dominii translativis recenset, quorsum brevitatis studio B. L. remitto.

II.

Ob hanc multiplicem successionis significationem, *Successores* quoq;, qui vel universum alterius jus, vel etiam rem singularem ac dignitatem acquirunt, in varia constituti sunt differentia. Quidam enim sunt *Seculares*, quidam vero *Ecclesiastici*, de quibus *vid. Tabor. de Obligat. Success. in Offic. c. 4. n. 1. sub fin.* Quidam *universales*, quidam

quidam *singulares*, de quibus *Schneidew. ad tit. Instit. de Usuc. sub rubr. de specieb. præscript. n. 63. atq; Valent. Förster. cit. c. 44. n. 1. & seqq.* Quidam porrò defuncto vel jure cognationis, vel etiam ex testamento; Quidam contrà jure sanguinis primo acquirenti succedunt. Vid. *Vultej. lib. 1. Feud. c. 8. n. 25.* Unde quidam successores *allodiales*, quidam vero *feudales* dicuntur, de quibus in præsentiarum uberius dicturus sum.

III.

Bona namq; privatorum, in quæ successio fit, sunt vel *allodialia*, vel *feudalia*, juxta *text. 2. F. 26. §. inter filiam. 2. F. 44. 48. & 54.* ubi feudum, allodium & bona libellaria à se invicem distinguuntur. *Allodialia* sive patrimonialia dicuntur, quæ in plena nostra proprietate, seu dominio sunt, adeo, ut à nullo recognoscamus. *Dn. Stryck. in Exam. Jur. Feud. c. 2. q. 5* Hinc etiam à Doctoribus describuntur, quod à nemine, nisi à Deo, recognoscantur. Vid. *Matth. de Afflict. ad tit. si de feudo fuerit &c. §. inter filiam. n. ult. Christin. vol. 6. decis. Belgic. 5. num. 21.* quod non nisi de libera dispositione & administratione intelligendum; respectu quippe Superioritatis & Jurisdictionis etiam allodialia Principibus eorumq; Magistratibus subsunt. *Knichen. de Jur. territ. c. 1. n. 237.* atque ad hæc allodialia Feudum quoque Solare, Germanicè ein Sonnen-Lehn/ propterea pertinere dicunt Dd. quod à nemine, quàm à Deo sive sole, quem Gentes pro Deo coluerunt, recognoscatur, prout cum *Dn. Rhæt. in comment. Feud.* testatur *Magnif. Dn. Fritschius Cancellariæ Rudolstad. Director eminentissimus, Patronus meus observantissimus, de feud. solar.* In hæc bona allodialia qui succedit, is vocatur *heres sive successor allodialis*, Germ. ein Land-Erbe.

IV.

Feudalia vero dicuntur illa bona, quæ quis sub lege fidelitatis possidet. Fidelitas siquidem formam feudi absolvit ejusq; essentiam constituit. Vid. latè *Rosenthal. de feud. c. 2. concl. 53.* Unde non solum feudum à fide deducitur, *2. F. 3. in fin. Vid. Dn. Eyben. Elect. Feud. c. 1. §. 10. Carpzov. Disp. Feud. 1. th. 24.* sed etiam Vasalli passim fideles appellantur *1. F. 4. §. si quis, atq; 1. F. 5. in pr.* Hæc enim fidelitas adeo ingreditur feudi substantiam, ut pactio, qua convenit, ne præstetur, feudi constitutionem penitus impediat; destructa enim forma rei essentiali, ipsa quoq; res perit. *l. 9. §. 3. in fin. ad exhib.* Utut alium contractum vel jus producat, uti contra *Bocer.* deducit *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud. c. 2. th. 6. n. 6. & 7.* Alia ratione bona quoq; feudalia describuntur, quod sint ista, in quibus jus feudi legitime est constitutum. Vid. *1. F. 4. in pr. junct. 2. F. 8. in pr.* Quomodo vero feuda vel per expressam constituentium & acquirentium voluntatem, in *investitura* declaratam, vel per præsumtam, ex *præscriptione* inductam, noviter constituantur, constituta deniq; per *successionem* ulterius in alios transferantur, ex Jure feudali atque Feudistis passim liquet. Vid. interim de hisce modis *text. 1. F. 25. 2. F. 1. atq; 2. F. 33.* Atq; hi, qui per successionem feudum acquirunt, vulgo dicuntur *Successores Feudales*, Germ. die Lehns-Erben.

V.

Præter bona hæc feudalia in jure quoque feudali dantur *bona libellaria*, per quæ cum *Hottomann. in Lex. feud. verbo libellarius contract. Frantzk. de laudem. c. 11. n. 13.* (utut alii dissentiant, vid. *Dn. Bechmann. Ex. Feud. 6. n. 33. & seqq.*) emphyteutica intelligit, propterea, quia descriptio contractus libellarii, *2. F. 9. §. 2.* proposita, convenit

cum

cum descriptione emphyteuseos, quæ habetur *in §.3. Instit. de loc.* atq; in libris feudorum, ubi similis feudali contractus ponitur, semper libellarius nominatur, *2. F. 26. §. inter.* nec unquam emphyteuseos, quæ tamen procul dubio apud Longobardos in usu fuit, mentio occurrit. Quapropter non incongruè quæritur? *ad quæ bona ista libellaria sive emphyteutica, censitica aliaq; similia referenda sint, an ad allodialia, an vero ad feudalia?* Respondetur *ad priora,* propter *text.* expressum *2. F.26. §. inter filiam.* ubi feudum allodio sive libellario opponitur. Quare & hi, qui in hæc bona succedunt, successores erunt allodiales. Præter feudum namque cætera bona omnia dicuntur allodialia, sive plenum in illis habeamus Dominium, sive utile, quæque à nemine recognoscimus, nisi ratione Jurisdictionis. Vid. *cum Bald. Matth. de Afflict. atq; Ferrar. Schrader. de feud. p. 2. c. 2. n. ult.*

VI.

Hac vero occasione ulterius disquiritur, pro quibus successoribus habendi sint isti, qui in feudo hereditario succedunt? Feudum illud, vel tantum ratione solius modi succedendi, vel ratione modi & personarum succedentium, vel deniq; etiam ratione liberæ dispositionis hereditarium esse, præ cæteris eruditè demonstrat *Dn. Struv. in Syntagm. Feud. c.4. th.13. per tot.* Ut posteriori modo dici queat feudum hereditarium esse constitutum, necesse est, ut vel talis potestas & successio in feudo per investituram, præter ipsam feudi essentiam, sit concessa, ut puta, si quis de feudo, tanquam de re allodiali, sit investitus, vel etiam singulari loci consuetudine receptum, ut concesso feudo hereditario, aut mentione facta heredum der Erben/ id ipsum concessum intelligatur. Vid. *Hartman. Pistor. lib. 2. q. 1. n. 37. & seqq.* De hoc posteriori, quod etiam ratio-

ratione ipſius eſſentiæ videtur eſſe anomalum. *Roſenthal. de feud. c. 2. concl. 36. Gail. lib. 2. obſerv. 154. n. ult.* atque propterea mere & abſolutè hereditarium vocatur, gravior exiſtit controverſia; *Gail.* namq; *cit. loc.* ejusmodi feudum naturam bonorum allodialium habere dicit, ut in quemcunq; alienari, & de eo pro arbitrio diſponi poſſit, reſervata Domino directo fidelitate. Hancq; ob cauſam Succeſſores hujus feudi potius allodiales, quam feudales eſſe videntur. *Add. Dn. Ludw. de Succeſſ. feud. cap. 1. reg. 2.*

VII.

Verùm, his non obſtantibus, ſucceſſorem in feudo hereditario non tam allodialem, quam feudalem eſſe, cenſeo. Licet enim feudum hereditarium ita ſit conjunctum hereditati, ut unà cum reliquis hereditariis bonis tranſeat, tamen hoc certo modo intelligendum, prout tradit *Hartm. Piſt. lib. 2. q. 1. n. 69.* Hinc quoad feudum hereditarium non ſufficit, quem eſſe heredem in bonis allodialibus cæteris, ſed requiritur potiſſimum quoq;, ut in ipſo feudo jure hereditario ſuccedat, uti poſt *Andr. Iſern. aliosq; alleg. demonſtrat Hartm. Piſtor. cit. q. 1. n. 70.* Licet etiam Vaſallo ſub mentione heredum concedatur. *Gail. lib. 2. Obſ. 154. n. 7.* atq; modo ſuccedendi civili deferatur. *Vult. 1. de feud. c. 8. n. 25.* Attamen in reliquis, quæ Domini magis perſonam reſpiciunt, feudum quoq; hereditarium propriam feudorum naturam retinet, veluti, quod iisdem ex cauſis amittatur, quibus alia amittuntur feuda, quia regulare eſt, ut, etſi feudi natura in uno per pactum immutata ſit, in aliis tamen eandem retineat. Vid. *Hartm. Piſt. d. q. 1. & obſ. 54. atq; Carpz. p. 2. conſt. 47. def. 1. n. 18. & ſeqq.* Utut verò iſti, qui in feuda hæc hereditaria ſuccedunt, deducto modo pro ſucceſſoribus feudalibus haberi debe-

debeant, in effectu tamen, quoad successionem aliaq;, quæ talia feuda cum allodiis communia habent, successoribus allodialibus æquiparantur, atq; propterea feudum quoque hereditarium universali jure tam ad filios, quam agnatos pertinere, tradit *Dn. Ludwell. in tract. de Success. feud. d. cap. 1. reg. 2.*

IIX.

Sed in dubio, ubi non constat, an bona allodialia, an vero feudalia sint, ulterius disquiritur, *pro quo successore præsumendum?* Sane, quia apud Interpretes Juris feudalis expeditum est, quod bona potius allodialia & libera, quam feudalia præsumantur, *arg. 2. F. 26. §. inter filiam.* ob rationem, quod omnis res pristinam suam naturam habere censeatur, atque feudi constitutio facti sit. *Rittershus. in partit. Feud. lib. 1. c. 2. q. 20.* Idcirco in dubio quoq; successor potius allodialis, quàm feudalis quis esse præsumitur, cum, ut bonorum feudalium, secundum hactenus dicta, ita quoq; hujus successionis singularis sit, qualitas, quâ non probatâ, perinde haberi debet, ac si non adesset. Faciunt huc illa, quæ *Menoch. lib. 3. Præsumt. 91. n. 1. & seqq. Hartman. Pistor. Obs. 175. n. 1. & seqq. Gail. lib. 2, Observ. 69. num. 4. & seqq. Ludov. Schrader. de Feud. p. 7. c. 4. n. ult. Vultej. de Feud. l. 1. c. 9. n. 59. & 60. atq; Carpzov. lib. 1. Respons. 81.* tradunt. Quia tamen præsumtio hæc bonorum allodialium nunquam tam efficax est, ut alias, easq; fortiores, præsumtiones pro feudo excludat, eapropter, si in contrarium proferantur præsumtiones speciales, ex quibus bona in feudum concessa intelligere licet, Successores potius præsumuntur esse feudales, quàm allodiales. Vid. *Menoch. d. præsumt. 91. n. 39. Hartm. Pistor. cit. observ. 175. n. 4. atq; Mynsing. cent. 5. observ. 25. n. 4.* Ejusmodi verò præsumtiones, quibus res

potiùs probantur feudales, copiosè referuntur à *Menoch. Mynsing. Gail. atq; Hartm. Pistor. cit. loc.* Quibus cum *Matth. de Afflict. Anton. Gabriel. atq; Brunn. in Consil. Feud. addatur Carpzov. cit. respons. 81. n. 10. & seqq.*

IX.

Hi ipsi verò successores, tàm allodiales, quàm feudales, in eô quidem conveniunt, quòd utriq; habiles esse debeant, de quô requisitô passim ex Jure constat. Sicut enim de Jure Civili successores nonnulli sunt incapaces, nonnulli verò indigni, de quibus latiùs agit *Barry de success. l. 1. tit. 8. & 9.* Ita quoq; de Jure Feudali nonnulli à successione feudi excluduntur, alii verò ob feloniam commissam feudo privantur, prout ex Feudistis plus quam notissimum est; In eo tamen differunt, quòd diversa (1) ipsorum *successio*, (2) diversus *succedendi modus*, & deniq; (3) *diversa* huic successioni *adhærentia Jura*, de quibus adhuc breviter acturus sum.

X.

Et quidem quod ipsam (1) attinet *Successionem*, illa successoribus allodialibus defertur à lege vel *mediatè*, vel *immediatè*. *Mediatè* defertur per factum hominis ejusdemq; dispositionem. Et hæc dispositio dependet vel ex *conventione*, vel ex *ultima voluntate*, seu testamento. Conventionalis successio Juris Civilis quidē fundamento destituitur: pacisci enim de hereditate viventis prohibitum est, adeò, ut odiosæ ejusmodi pactiones & plenæ tristissimi eventus dicantur *in l. fin. C. de pact.* cum improbus sit, qui de viventis sollicitus est hereditate, per *l. 2. §. 2. de Vulg. & Pup. Substit.* Dantur tamen casus singulares, ubi de hereditate pacta non omninò reprobantur, de quibus agitur *in l. 19. & fin. C. de pact. ut & in l. 3. §. 2. pro Soc. vid. Brunnem. in Comment. ad d. l. 19. & fin. Vinn. de pact.*

pact. c. 19. Mæstert. de Just. LL. Roman. lib. 1. dub. 41. atq; *Zœs. ad ff. de pact. n. 30. & seqq.* Extra hos casus in jure permissos pactio talis admittenda non est, hinc etiam inter modos deferendi hereditatem Jure Civili referri nequit; Moribus tamen eò deventum, ut pacta de hereditate acquirenda vel conservanda valeant, per ea, quæ tradunt *Hartman. Pistor. lib. 4. q. 1. & seq.* atq; *Habn. de Jur. Rer. c. 8. conclus. 69. & seq.*

XI.

Dubitarunt equidem haud pauci, an consuetudine talia pacta confirmari possint, quos citat *Förster. de success. ab intest. lib. 4. c. 24. n. 21.* Receptior tamen est opinio, ejusmodi pacta confirmari posse, cum bonis moribus civilibus tantùm repugnent. Hinc consuetudo, quæ Jus Civile quoque tollit per *l. 32. §. 1. ff. de LL.* meritò etiam mores Jure Civili improbatos confirmare ac legitimare potest. Vid. *Gail. lib. 2. Observ. 39. n. 15. Anton. Faber in Cod. de pact. convent. def. 6.* Hæcq; ratio est, quòd variæ hujusmodi pactorum species sint subortæ, ipsaq; pacta successoria in acquisitiva, conservativa & renunciativa, sive in affirmativa de succedendo, & negativa de non succedendo, dividantur, de quibus latiùs videri possunt *Bartol. Muscul. in tract. de success. convent. & anom.* atq; *Habn. cit. tract. c. 7. concl. 66.* atq; *mult. seqq.*

XII.

Porrò lex quoq; *mediatè* hereditatem defert per dispositionem in ultima voluntate, cujus generis est successio *testamentaria*, quam *LL. XII. Tabb.* confirmant, juxta *l. 120. ff. de V. S.* Ast hîc non sola lege, sed mediante factô testatoris hereditas defertur, ut certô solùm respectu legitima vocetur. *Wissenb. de V. S. Disp. 31. th. 10.* Illa vero, quam lex immediatè, defert, propriè legitima est & κατ' ἐξοχὴν

 ita

ita dicitur, cùm factum hominis ad eam necessariū non sit, quare à testamentaria sæpius in Jure distinguitur *in l.82. de heredib. instit. & l.77. de acquir. vel amitt. hered.* Quamvis verò immediatè hæc successio à lege deferatur, non tamen, nisi in subsidium, & successione testamentariâ deficiente, hoc fit. Favet enim ipsa Lex. XII. Tabb. ultimis morientium dispositionibus, ut provisio hominis faciat cessare provisionem legis, per *l. ult. C. de pact. Barbos. locuplet. lib.14. c.104. axiom.5.* Quapropter, ubicunq; ex testamento adiri hereditas potest, ea ab intestatô non defertur, per *l.39. ff. de acquirend. vel amitt. hered. & l.89. de R.I.* Illis verò casibus, quibus hereditas testamentaria cessat, quos latius deducit *Dn. Stryck. de success. ab intest. c.1. §. 10. & seqq.* leges civiles in allodialibus ita deferunt hereditatem, ut semper linearum & ordinis rationem habeant, prout ex *Nov. 118. c. 1. 2. & 3.* uberius liquet, ubi primò descendentibus, secundò ascendentibus, tertiò collateralibus successio defertur, quas Classes successionum, cùm hactenus fusiùs explicatæ sunt, brevitatis gratia hac vice omitto.

XIII.

Quod verò successionem feudalem concernit, illa regulariter non per testamentum, sed ab intestato defertur, cum omnis feudi alienatio sit prohibita, juxta *text.2. F.52. & 55.* Per testamentum autem talis alienatio tàm in præjudicium Domini, quàm agnatorum fieret, hinc & dispositio testamentaria meritò prohibita est. Vid. *Finckelthus. Disp. feud. 6. thes. 6.* Quod in tantum procedit, ut Vasallus ne quidem pro animâ suâ de feudô judicare queat, prout loquitur *Imperator Fridericus 2. F. 55.* nisi feudum sit novum, atque Vasallus disponat inter eos, qui aliàs in feudô successuri sunt, Vid. *Schultz. in Synops.*

Jur.

Jur. feud. c. 8. n. 16. aut merè hereditarium ſit, aut Domini & agnatorum conſenſus accedat, aut conſuetudo deniq; regionis teſtamentariam diſpoſitionem admittat. Videantur plura hanc in rem penes *Roſenth. c. 7. concl. 2. & ſeqq. Vultej. de feud. lib. 1. c. 9. Schneidew. de feud. part. 6. c. 1. n. 2. & ſeqq. Rittershuſ. part. feud. lib. 1. c. 12. Schultz. cit. loc. n. 11. & ſeqq. Richter. part. 1. dec. 25. n. 13. Stryck. in Exam. Jur. Feud. c. 14. per tot. Struv. Syntagm. Jur. Feud. c. 9. th. 12.* aliosve plures, qui materiam hanc latiùs deducunt. Circa quam hoc unicum adhuc obſervandum, quòd, quamvis de Jure communi nemo pro parte teſtatus & inteſtatus decedere poſſit, *l. 7. de R. J.* hoc tamen tantummodò procedat in bonis ejusdem naturæ. Unde ſi Vaſallus de bonis feudalibus & allodialibus ſimul teſtatus fuerit, teſtamentum illud, quoad bona feudalia & ſucceſſores feudales solùm corruit; quoad allodialia verò eorumq; ſucceſſores ſubſiſtit. Atque ita Scabinos Lipſienſes pronunciaſſe refert *Matth. Berlich. dec. 49. n. 6.*

XIV.

Ab inteſtatô ſucceſſio feudalis quomodo ſe habeat, iterum latiſſimè in Jure feudali ejusq; Interpretibus explicatur. Quædam enim feuda *perſonalia* ſunt, ad vitam ſolummodo Vaſalli conceſſa, in quibus ſucceſſio nullum locum habere poteſt. Talia ſunt Feudum Habitationis, *2. F. 105.* Feudum Soldatæ, *d. text. 105. in fin.* Feudum de Camerâ, ut & Feudum de Cavenâ, vid. *Ludwel. in tract. de diviſ. feud. c. ult. n. 120.* eumq; laudans *Dn. Stryck. Exam. Jur. Feud. c. 4. n. 54. & ſeqq. Schneidew. de feud. part. 1. n. 61. Vultej. de feud. lib. 1. c. 8. n. 13. Roſenthal. de feud. c. 2. concluſ. 75. n. 7.* Quædam verò realia ſunt, quæ pro heredibus ſimul conceduntur. Quamvis enim ab initiô feuda fuerint precaria, ad arbitrium Domini revocabilia; poſt

hæc annalia, porrò ad vitam Vafalli ufusfructus inftar conceffa, *1. F. 1. §. 1.* progreffu tamen temporis in feudis obtinere cœpit fucceffio, quæ ab initiô fuit reftricta ad filios, *d. 1. F. 1. §. 1. in fin.* deindè per Conradum II. Salicum ad nepotes & defuncti fratres, modò paternum fuerit, producta, *d. 1. F. 1. §. 2.* Tandem deniq; ad collaterales, ex primô tamen acquirente per lineam mafculinam defcendentes, in infinitum extenfa, *2. F. 31. & 50.* Hinc in feudalibus fuccefforibus, perindè ut in allodialibus, prima ratio eft defcendentium ex jufto matrimonio procreatorum, five fuerint exheredati, five non. Feudum enim, non tam à Patre, quàm ex beneficiô Domini ad filios devolvitur, *2. F. 23. §. fin.* Ergò cùm difpofitio teftamentaria circa feuda, per antea deducta, nullius momenti fit, nec quicquam operabitur exheredatio, *Vultej. de feud. lib. 1. c. 9. n. 96.* nifi feudum purè fuerit hereditarium. *Rofenth. de feud. c. 7. concluf. 10. n. 8. atq; Stryck. de fucceff. ab inteft. c. 2. art. 2. §. 17.*

XV.

Excluduntur tamen ab hâc fucceffione feudali filiæ, quæ in feudô non fuccedunt, ob rationem, quòd fervitia Domino præftare nequeant. Quod non tantùm in ipfis filiabus, fed & in nepotibus ex illis natis obtinet, *2. F. 11.* Quamvis enim in his ceffent rationes fœminas excludentes; fœminæ tamen nubentes in aliam tranfeunt familiam, ut nec earundem nepotes admitti queant, cum feuda familiæ conceffa fint, *Förfter. de fucceff. lib. 4. c. 21. n. 48.* nifi feudum fuerit fœmineum, vel tale, in quod fœminæ aliàs fuccedere poffunt. Inter filios porrò illi excluduntur, qui funt inhabiles ad fervitia, non folum naturâ, ob defectum animi & corporis, fed etiam lege; quales funt Clerici, qui in feudum fuccedere nequeunt, etiam-

etiamsi habitum deposuerint, *2. F. 30. §. ex hoc.* scil. post delatam successionem, secus si anteà hoc fiat, *Ludwel. de success. feud. c. 2.* Adoptivi, *2. F. 26. §. adoptivi,* liberi naturales & multò magis spurii, & adulterini, etiamsi nulli liberi justi adsint, *2. F. 26. §. naturales. Schrader. de feud. part. 7. c. 5. n. 20.* nisi fuerint per subsequens matrimonium legitimati, non obstante *text. 2. F. 26.* quem explicant latè interpretes Juris Feudalis, interq; eos *Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 9. thes. 3. n. 12. Add. Hartm. Pist. lib. 2. q. 41. Schultz. in Synops. feud. c. 8. n. 43.* atque cum plurimis aliis *Mynsing. cent. 5. observ. 42. n. 2.* ubi hanc sententiam, quòd legitimati per subsequens matrimonium in feudo succedant, in Camera Imperiali receptam esse dicit.

XVI.

Post descendentes in successione feudali ascendentes non admittuntur, adeoq; insignis inter successores allodiales & feudales hoc in puncto existit differentia. Tralatitium namq; est, in feudis ascendentes excludi, per *text. 2. Feud. 50.* quod tàm in præsumta voluntate Domini feudum concedentis, quàm Vasalli acquirentis radicatum est. Uterq; enim liberis tantùm, non aliis prospicere voluit, *Vultej. de feud. l. 1. c. 9. n. 101. Hartmann. Pist. lib. 2. q. 19. n. 5.* Sive sit feudum novum, sive sit feudum antiquum, exceptis quibusdam casibus singularibus, quos recenset *Schulz. cit. c. 8. n. 110. & seqq. Schnobel. Disp. feud. 7. th. 5. & 6. Struv. Syntagm. Jur. feud. c. 9. th. 3. n. 3. & seqq. Rosenthal. de feud. c. 7. concl. 14. Schrader. de feud. part. 7. cap. 6. Ludw. in Synops. feud. c. 9. aliiq; plures.* Collaterales deniq;, perindè ut in allodialibus, in feudis quoq; admittuntur, sed tamen non omnes, verùm illi tantum, qui à primò acquirente per lineam masculinam sanguinem

trahunt, *vid. 2. F. 31. in fin.* Undè excluduntur collaterales vasalli defuncti in feudo novo. Horum enim intuitu feudum concessum non est, sed tantùm pro descendentibus, *2. F. 8.* nisi vel per pactum investituræ adjectum fratribus aliisq; collateralibus prospectum, vel etiam feudum novum jure feudi antiqui concessum fuerit. Vid. *Dn. Ludwel. in tract. de Success. feud. c. 4.* Plura de hâc successione feudali proponit *Dn. Stryck. de Success. ab intest. c. 2. art. 2. c. 3. art. 2. & c. 4. art. 2.* ad quem brevitatis gratiâ hac vice provoco, hoc unico adjecto, quod sine simultaneâ investiturâ de Jure Saxonicô ne quidem Collaterales ex primô acquirente procreati succedant, sive feudum fuerit novum, sive antiquum, sive hereditarium, aut ex pacto & providentia, ob varios Juris Saxonici textus, quos citat *Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 9. th. 15.*

XVII.

Atq; jam (2) *modum succedendi* brevissimis aggredior. Is verò inter hos duos successores in successione ab intestatô in eô convenit, quòd quandoq; in *capita*, quandoq; in *stirpes* succedant. In *capita*, quando plures personæ, ad quas successio pertinet, viriles portiones capiunt, juxta illud vulgare: *Quot capita, tot partes:* So viel Mund so viel Pfund. In stirpes verò, quando diversis personis portiones inæquales respectu stirpiū tribuuntur. *Matth. Steph. ad Nov. 118. Harprecht. ad §. 6. Instit. de hered. quæ ab intest. def. n. 6. Stryck. de success. ab intest. c. 1. §.* In eo tamen discrepat, quòd quis allodialium sit plenus dominus, ut ejus arbitrio permissum sit, bona alicui in testamento relinquere, nec ne. Ergò si testamentum non fecerit, ejusdem voluntatem lex supplet, & successionem legitimam illis tribuit, qui proximo fuerunt defuncto conjuncti, quasi ea voluntas fuerit ejus, qui

qui moriens aliam non expressit. *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 7. n. 3.* Unde JCtus Paulus scribit, quod credatur paterfamilias ab intestato succedentibus sponte sua relinquere legitimam hereditatem, *l. 8. §. 1. de Jur. Codicill.* At successionis feudalis singularis est ratio, quæ profluit ex primâ constitutione feudi, quâ concedens acquirenti ejusq; heredibus ac posteris, ab istô descendentibus, qui eum repræsentant, prospicere voluisse censetur. *2. F. 23. in fin.* Hinc fluit, quòd diversa sit ratio Successionis civilis atque feudalis.

XIIX.

In civilibus namq; defunctô, vel jure cognationis, vel ex testamentô succeditur, prout *in antecedentibus* demonstravimus; In feudalibus verò solummodo ratione sanguinis, & quidem illi, qui primùm feudum acquisivit: In civilibus ultimo possessori succeditur; in feudalibus verò per eundem parenti communi, à quo uterq;, & defunctus & successor descendit, & quidem jure delati à primô acquisitore feudi in omnes posteros, sicq; tacita quadam investituræ lege, per *text. 1. F. 14.* Quamvis hic ipse modus succedendi feudalis per pactum investituræ expressum immutari queat. Cum enim de feudi substantia non sit, sed solummodò de naturalibus, per tradita *Struv. in Synt. J. F. c. 2. th. 7.* ideò nihil obstat, quò minus per pactum investituræ adjectum immutari possit. Hinc, si modus succedendi à Jure Feudali determinatus observatur, atque civilis non substituitur, vocatur *feudum ex pactô & providentiâ*, scil. primi acquirentis, qui pactô seu contractu suô feudali reliquis jus quæsivit, & ipsis de feudô providit. Sin verò per pactum, in investitura contentum, modus succedendi civilis accommodatur, constituitur feudum improprium, quod alias *hereditarium* dicitur,

quæ divisio, licet expressis verbis in Jure Feudali non reperiatur, iis tamen in locis suum fundamentum habet, quibus successio feudalis pactis immutari posse dicitur, ut in *text. 2. F. 1. pr. & 11. atq; 2. F. 50. in pr. Add. Stryck in Exam. Jur. Feud. c. 4. n. 45. ibiq; alleg. Wurmser. atq; Struv. Synt. J. F. c. 4. th. 12. Carpz. p. 2. c. 47. def. 1. n. 17. atq; seqq. Hartm. Pist. lib. 2. q. 1. n. 61. & seqq. & q. 14.* Utut hæc immutatio formam feudi planè non absorbeat, teste *Stryck. cit. loc. n. 46.* Unde etiam in antecedentibus successores feudorum hereditariorum ad successores feudales certo modo retulimus.

XIX.

Præterea quoad *modum succedendi* ea inter successores allodiales & feudales intercedit differentia, quod jure novissimô discrimen inter agnationem & cognationem quoad successionem rerum allodialium planè sustulerit Imperator Justinianus in *Nov. 118. c. 4.* adeò, ut hodiè avunculus & patruus in æquas hereditatem dividant partes; Jure verò feudali ista differentia adhuc salva est, ut soli agnati in feudo succedant, cognatis exclusis. Familiæ enim feuda concessa sunt, hinc ad eos, qui per fœminas junguntur, tanquàm in aliena familia constitutos, per *l. 196. §. 1. de V. S.* transire non debent, *2. F. 11. pr. Ludwel. de Success. Feud. c. 4. Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 16. q. 1.* exceptis illis casibus, quibus fœminæ in feudorum successione admittuntur. His enim cognati à successione feudali excludi nequeunt. Succedunt ergò regulariter fratres, fratrumq; liberi, perindè ut jure civili, ita tamen, ut non ubivis duplicitas vinculi attendatur. Nam frater Germanus uterinum quidem à successione excludit, non verò consanguineum, sed cum eô æqualiter succedit *arg. 2. F. 11. §. his verò*, ubi ille frater admitti dicitur,

tur, qui ex communi parente ejus agnationis natus fuit, quod & consanguineo rectè applicatur, cùm & hic agnatus sit, perindè ut germanus, *§. 1. Inst. de leg. agnat. success.* Deniq; etiam in eo adhuc disparitas occurrit, quòd in allodialibus successoribus quoad lineam collateralem sola attendatur proximitas gradus, juxta *Nov. 118. c. 3. in fin.* in feudalibus verò non tantùm gradus, sed & lineæ ratio habeatur, quam rem benè explicat *Dn. Struv. in Syntagm. Feud. c. 9. th. 7. n. 4.* Moriente scil. Vasallô videndum, an aliqui in eadem linea, seu qui ex eodem stipite proximô cum defunctô descendunt, supersint, ut hi omnibus aliis etiam primo acquirenti propioribus præferantur, an verò in eadem linea nulli adsint, & tunc ad lineam proximè vicinam progrediendum. Ergò proximitas quidem ratione ultimi defuncti, cui succeditur, æstimatur, juxta *text. 2. F. 37.* ita tamen, ut prior lineæ, post gradus habeatur ratio, prout evidenter probat *text. 2. F. 50. in fin.* Et hanc sententiam præter *Hottomann. de Feud. c. 17.* fovent quoq; *Sonsbec. de feud. p. 9. c. 112. Vultej. de feud. lib. 1. c. 9. n. 112. in fin. Zœs. de jur. feud. c. 10. n. 40.* Confer. *Dn. Stryck. in Exam. Jur. Feud. c. 16. n. 17. ibiq; alleg. Ludw. atq; Eyben.*

XX.

Diversa deniq; (3) in hisce successoribus occurrentia *jura* potissimùm onera feudi atque onera Vasalli respiciunt. Quamvis enim distinctionem Juris inter onera feudi & Vasalli approbare nolint *Moller. ad Constit. Elect. Saxon. p. 2. Const. 46. & seq. n. 4. aliiq; à Berlich. p. 2. concl. 55. allegati Dd.* summâ tamen nititur æquitate, rem ipsam explicat, atque cum fructu & utilitate retineri potest, sicut etiam à plerisq; recepta est, teste *Cothmann. vol. 2. Consil. 92. n. 3. atq; Petr. Heig. p. 2. qu. 20. n. 30. & seq.* ut non

immeritò communiter recepta dici possit, sicut & eandem Elector Saxoniæ in suis *Novell. p. 2. const. 46.* approbavit, prout ex istius verbis patet, *Conj. Berlich. cit. conclus. 55. num. 34.* Licèt verò jure communi feudali solum illa debita videantur constituere onera feudalia, pro quibus feudum legitimè oppignoratum est. Quia in *text. 2. F. 45.* nullum debitum ex numero onerum hereditariorum eximitur, atque nullibi alterius debiti ex feudo exsolvendi fit mentio, quàm ejus, pro quô hypotheca Domini, &, si feudum antiquum fuerit, agnatorum consensu constituta. *2. F. 55.* Unde quoq; ex hâc juris feudalis dispositione ejusmodi debita omnia hereditati incumbunt, *arg. l. 35. §. 1. ff. de hered. instit. Hartm. Pistor. lib. 1. q. 4. n. 13.* exceptô casu in *text. 1. F. 6. §. 2.* proposito; successu tamen temporis introductum, ut quædam debita feudo ex consuetudine cohæreant, & quidem vel secundum nonnullorum locorum mores simpliciter, ut puta, debita in feudi utilitatem contracta, *Carpzov. p. 2. const. 46. def. 26.* residuum pretii, *Carpz. cit. loc. def. 27.* atque dotalitium, *Hartm. Pistor. cit. q. 4. per tot.* vel etiam in subsidium, verb. gr. educatio atque dotatio filiarum, *Vultej. de feud. lib. 1. c. 9. n. 57. Carpz. cit. Const. 46. def. 16.* alimenta filiis inhabilibus ad succedendum præstanda, *1. F. 6. §. mutus*, exsolutio legitimæ, in cujus comparationem maximam patrimonii partem impendit pater, *Carpz. d. loc. def. 24.* atque impensæ funebres, vel summâ æquitatis ratione, quam contra *Carpzov.* dissentientem hoc in casu cum *Mev. in Discuss. Levam. inop. debit. c. 7. n. 182.* urget *Dn. Struv. Synt. Feud. c. 14. th. 20.* quem sequitur *Stryck. in Exam. feud. c. 21. n. 27.*

XXI.

Utilitas autem hujus distinctionis in eo consistit, quòd

quòd onera, quæ vel feudo, mediante oppignoratione, vel etiam absq; illa ob consuetudinem cohærent, tùm à Domino, cui feudum aperitur, tùm etiam à quolibet successore, sive sit filius, sive agnatus, & sic à quolibet possessore præstari debeant. *Hartm. Pistor. lib. 2. q. 48. Petr. Heig. lib. 2. q. 20. n. 45. atq; Carpzov. lib. 4. resp. 28.* Quia enim ex æquitate feudo cohærent, eorundem quoq; exsolutio ad Dominum & quemlibet successorem feudalem transit, prout cum allegatis demonstrat *Berlich. p. 2. conclus. 55. n. 35.* ubi quoq; *n. 36.* dicit, quòd ea inter Jus commune Feudorum & Jus Saxonicum sit differentia, quòd successor feudi de jure communi onera feudi (extra oppignorationem scil. constituta) non nisi in subsidium præstare teneatur, secùs ac de jure novissimo Saxonico, quô nonnulla debita feudo simpliciter cohærent, & quidem contra textus juris feudalis & naturam feudi strictè consideratam, ob sanctionem *Elect. Saxon. cit. Constit. 46.* Onera verò Vasalli, qualia præter enarrata sunt cætera omnia debita, ex allodiô & à successore allodiali sive herede præstari debent, *arg. 2. F. 45. Berlich. d. l. Stryck. cit. cap. 21. n. 3. ibiq; alleg. Carpzov. in tract. de Oner. Vas. feud.* Nonnunquam tamen etiam ex feudô, habita scil. distinctione inter feudum hereditarium & inter illud, quod est ex pacto & providentia. Si namq; feudum sit hereditarium, successor quoq; debita, quæcunque etiam sint, exsolvere tenetur, vid. post *Gail. lib. 2. observ. 154. n. 10. atq; Mynsing. cent. 3. observ. 67. n. 1. & seq. Berlich. cit. concl. 55.* sive successor fuerit filius, sive agnatus, vel alius extraneus. *Berlich. cit. loc. num. 24.*

XXII.

Nec porrò interest, an feudum sit merè & absolutè hereditarium, an saltem ratione modi succedendi & se-

cundum quid, quod mixtum aliàs dicitur. Utut enim feudum hoc etiam à primo acquirente sit quæsitum, adeò, ut secundum naturam feudi in eo quoq; filii, exclusis filiabus, succedant, hæc ipsa tamen successio jure hereditariô peragitur, atq; modus succedendi civilis observatur, ita, ut succedatur in eo non jure propriô, sed perindè, ut in allodialibus, hereditariô scil. jure à defuncto delato. Quapropter & in hoc feudo tàm filii, quàm agnati, eôdem jure ad allodialia & feudalia vocantur, nec feudum sine allodiô retinere possunt, sed voluntatem defuncti, perindè ut alii heredes, servare tenentur, sive ratione feudi aliquid sit præstandum, sive aliàs circa successionem feudi disposuerit defunctus. Itaq; quoad qualitatem hereditariam, utrumq; feudum, tàm absolutè & merè hereditarium, quàm mixtum rebus allodialibus accensetur, ut in illis, perindè, ac in reliquis rebus hereditariis successio jure hereditario, etiam quoad onera Vasalli, fiat. Vid. *Hartm. Pistor. lib. 2. qu. 1. n. 47. it. post Cravett. Camer. aliosq; Berlich. cit. conclus. 55. n. 18.* Et eatenus successores in feudis hereditariis cum successoribus allodialibus coincidunt, modò ipsis simul deferatur allodium. Tunc enim, quia necessariò debent esse heredes saltem per indirectum, quævis dispositio Vasalli circà feudum ipsis præjudicat; Secùs se res habet, si vel ab ipso Vasallo defuncto excludantur ab hereditate allodiali, vel ipsis non deferatur propter heredes allodiales proximiores, v. g. *si filiæ succedunt in allodio, agnati in feudo*, tunc non aliter ipsis præjudicat dispositio Vasalli, quàm si Dominus consenserit. Vid. *Vultej. lib. 1. c. 9. n. 114. & seqq.*

XXIII.

Si feudum sit ex pactô & providentia, iterum dispiciendum, an novum, an antiquum sit. In novo, cum soli filii

filii regulariter ſuccedunt, onera quoq; Vaſalli atq; ſic debita à patre contracta exſolvere tenentur, *arg. 2. F. 45.* Ubi verò agnati, deficientibus deſcendentibus, ſuccedunt ex pactô vel conſvetudine, iterum intereſt, an ſint ſimul heredes allodiales, an non. Priori caſu, debita Vaſalli defuncti quævis exſolvere tenentur; Poſteriori verò caſu, à nonnullis ab oneribus Vaſalli liberantur, quod ſint ſucceſſores ſingulares, qui ad æris alieni præſtationem obligati non ſunt. *Schrader. de feud. p. 7. c. 7. n. 38. & ſeqq.* Verùm quia cauſam ſuccedendi à defuncto habent agnati, perindè ut heredes allodiales, ideò magis videtur æqua ſententia, quòd in ſubſidium quoq; ad ſatisfaciendum creditoribus defuncti obſtringantur, per ea, quæ tradit *Berlich. cit. concl. 55. n. 85. & ſeqq.* Utut jure Saxonicô propter vim ſimultaneæ inveſtituræ aliud dicendum ſit, *teſte Carpzov. p. 2. c. 46. def. 4.* In antiquo, neq; filios, neq; etiam agnatos ad præſtandum æs alienum defuncti, niſi inſimul heredes in allodio ſint, obſtrictos eſſe, Interpretes Juris feudalis occaſione *text. 2. F. 45.* communiter docerit, vid. *Schrad. d. p. 7. c. 7. n. 34.* Alii tamen hanc conſtituunt differentiam, quòd agnatus quidem onera Vaſalli ſubire non debeat, niſi (1) etiam hereditatem defuncti adeat, ut non quidem ut ſucceſſor feudalis, ſed ut allodialis oneribus hereditariis obligetur, *Schrad. dict. loc.* aut (2) conſvetudine loci ad debita defuncti Vaſalli ſolvenda teneatur, qualem in Electoratu & Marchionatu Brandenburgenſi vigere dicit *Dn. Struv. Synt. J. F. c. 14. th. 29. n. 4.* filius verò in feudo ſuccedere haud poſſit, niſi hereditatem quoque paternam adierit, ſicq; onera hereditaria ſuſceperit, ob diſerta verba *text. 2. F. 45.* quæ neque de feudo hereditario pro parte commodè accipi, neque etiam per diſtinctionem inter ſuum & neceſſarium here-

heredem explicari possunt, per ea, quæ latius tradit cum *Vultej. Sonsbec. Zas. Coler. Rosenthal. atq; Hartm. Pistor. Berlich. p. 2. conclus. 56. n. 11. & seqq.* ubi *n. 13.* rationem diversitatis annectit, quòd filius scil. ob honorem, quem patri debet, non possit habere feudum absq; onere hereditario, adeoq; teneatur æs alienum solvere, non solum quatenus vires hereditatis ferunt, sed, iis quoque non sufficientibus, ex feudi proventibus. Add. *Carpzov. p. 2. c. 46. def. 5. & 6. atq; Mev. discuss. levam. inop. debit. c. 7. n. 190. & seqq.* Et hanc sententiam posteriorem Electorem Saxoniæ expressâ Constitutione approbasse, confirmat *Ordinat. Torgav. tit.* Welcher Gestalt die *Agnaten*. §. Da ein Vatter.

XXIV.

Ex hactenus deducta differentia ulteriùs fluit, successorem quidem allodialem dispositionem testamentariam antecessoris ratam habere debere, propter *l. 14. C. de Rei Vindic.* sed quoad successorem feudalem ulteriùs distinguendum esse inter feudum hereditarium, & inter feudum ex pacto & providentia, ità quidem, ut in feudo hereditario successor facto defuncti contravenire nequeat, ut & in feudo ex pacto & providentia, sed novô, in quo primus acquirens in præjudicium illorum, qui causam succedendi ab ipso habent, disponere potest. Vid. *Schrader. de feud. p. 7. c. 2. n. 22. atq; Dn. Richter. p. 1. decis. 25. num. 13.* In feudo verò antiquo nulla valeat ordinatio quoad agnatum succedentem, nisi simul sit heres. Filius tamen secundum *cit. text. 2. F. 45.* etiam quoad feudum per indirectum ad dispositionem paternam servandam obstrictus est, nisi exheredatus fuerit in allodio, tunc enim licet exheredatio in allodialibus subsistat, in feudo tàm novo quàm antiquo succedere potest, patris quoq; dispositi-

ſpoſitione non ſervatâ, *Stryck. in Exam. Jur. Feud. c. 14. n. 6. atq; Struv. c. 9. th. 12. n. 8.* ubi addit: quod filio exheredato non obſtet excluſio à feudo antiquo, etiamſi Dominus conſenſerit, noceat tamen excluſio à feudo novo cum conſenſu Domini facta.

XXV.

Conſimili modô ex hactenus dictis apparet, quòd ſucceſſores allodiales res ab anteceſſoribus alienatas nullô modô revocare queant. Heres enim cum defuncto eadem perſona eſſe, atque defunctum ita repræſentare dicitur, ut contra factum ejus venire nequeat, per *cit. l. 14. C. de Rei Vind. ibiq; Brunnem. atq; l. 149. de R. J. Richter. p. 1. deciſ. 55. n. 3. & ſeqq.* Succeſſores verò feudales feudum, etiam licitè cum conſenſu Domini alienatum, revocare poſſunt, & quidem vel jure protimiſeos, vel jure delatæ ſucceſſionis. Jure protimiſeos, etiam vivô Vaſallô, juxta *text. 2. F. 9. §. ult. 2. F. 26. §. Titius*, quæ redimendi facultas quoq; filiis conceditur, juxta *Roſenthal. de feud. c. 9. concluſ. 88. Berlich. p. 2. concl. 60. n. 27.* Jure verò delatæ ſucceſſionis, poſt mortem Vaſalli alienantis eorumq; liberorum, modò Vaſallo alienanti non ſimul in allodio ſucceſſerint, nec in alienationem conſenſerint, vid. *1. F. 5. 2. F. 26. d. §. Titius. atq; 2. F. 39.* nec etiam feudum hereditarium fuerit. *Hartm. Piſt. lib. 2. q. 14. atq; Stryck. Exam. Jur. Feud. c. 20. n. 9. atq; 11.* Sicut & filii, utut ſucceſſores feudales fuerint, ab hoc jure revocandi excluduntur, cùm feudum ab allodio non ſeparare, *2. F. 51. §. filius*, neque facto patris contravenire poſſunt, juxta *cit. l. 14. C. de Rei Vind.* Tandem deniq; ex differentiis hucusq; propoſitis ſequitur, quòd agnatus quidem feudum retinere poſſit, repudiatâ hereditate defuncti, ob *text. 2. F. 45. Hartm. Piſtor. lib. 2. q. 2. n. 1.* Non verò ſucceſſor allodialis, qui,

si solus heres existat, hereditatem pro parte adire, pro parte verò repudiare nequit, *l. 7. de R. J. l. 10. l. 80. in pr. de hered. instit.* etiamsi retentâ solâ legitimâ hereditatem repudiare velit. Cum enim, ut pleriq; volunt, legitima filio institutionis titulô relinquenda sit, per *Nov. 115. c. 3.* eveniret, ut, repudiatâ institutione, repudiaret quoq; legitimam. Vid. *Facbin. lib. 4. Controverf. c. 65. atq; Perez. ad C. de repud. vel abstin. hered. n. 7.* Idem quoq; de filio, in feudô succedente, quòd vel utrumq;, feudum scil. & hereditatem retinere, vel utrumq; repudiare debeat, asserendum esse, præter illa, quæ hanc in rem in antecedentibus proposita sunt, satis demonstrat *Ludwel. de success. feud. c. 1. reg. 3.*

XXVI.

Unde jam patet, quòd successio heredum allodialium sit universalis, per quam idem, ac omne jus, quod defunctus habuit, in successorem transfertur, *l. 24. de V. S. atq; l. 62. de R. J.* Successio verò in feudo sit singularis. *Carpzov. p. 2. Const. 46. def. 1. n. 6. & 7. Hottomann. quidem de Feud. c. 16.* eandem, respectu agnatorum singularem, respectu verò filiorum universalem esse censet, per *text. 2. F. 45.* Verùm hæc distinctio vix admitti potest, cùm feudum etiam ad filium non hereditariô jure, sed beneficiô potius Domini & primi acquirentis devolvatur. *1. F. 1. §. 1. & seqq.* Quarè potius inter feudum hereditarium & ex pacto & providentia distinguendum esse censet *Dn. Ludwel. cit. tr. c. 1. regul. 2.* ita, ut illud universali, hoc singulari jure tàm ad filium, quàm agnatum pertineat, *d. 1. F. 1.* quamvis filiorum, mediante patris personâ, primo acquirenti succedentium durior, quàm agnatorum sit conditio, prout demonstravimus, *atq; Ludw. cit. loc.* ulterius confirmat. Undè ne quidem ab hoc nexu per confectio-

nem

nem inventarii se liberare possunt. Licèt enim ad hoc proficiat inventarium, ne ultra vires feudi & hereditatis teneantur, eosdem tamē non liberat ab obligatione, quâ ultra vires hereditarias in subsidium quoq; ex feudo ad satisfaciendum creditoribus obstringuntur. *Berlich. p.2. concl.56. n. 22. & seqq. atq; Carpzov. p.2. const. 47. def. 6.*

XXVII.


Neque solùm quoad successionem & approbationem factorum & onerum defuncti inter successores allodiales & feudales intercedit differentia, sed etiam quoad alia, ut puta fructus & meliorationes. Nam fructus rerum allodialium indistinctè ad successores allodiales pertinent, cum pendentes partem fundi constituant, per *l.44. ff. de Rei Vind.* heres quoque malæ fidei possessoris, modò in bona fide constitutus sit, fructus, quos percipit, suosq; faciat, ad instar alterius bonæ fidei possessoris, per *l. 48. §.1. de acquir. rer. domin.* Unde quoq; fructus bonorum allodialium de Jure Civili pro rata temporis ad possessorem antiquum ejusq; heredes & novum possessorem pertinent, *arg. l. 5. l. 7. §. 1. & seq. ff. sol. matrim.* uti in emphyteusi, retrovenditione, retractu, aliisq; casibus observari, tradit *Hartm. Pistor lib. 1. q. 24. Berlich. p. 3. conclus. 43. n. 5. & seqq.* Aliud jura feudalia in feudalibus introduxerunt. Feudô namq; per mortem Vasalli finitô, fructus naturales & industriales separati ad heredes allodiales pertinent, pendentes verò ad successores feudales spectant, si scil. vasallus ante Calendas Martii vel post Augustum moriatur, si autem intra hoc tempus vitâ decedat, successoribus allodialibus acquiruntur, *2. F. 28. §. bis consequenter. Hartm. Pistor. l.1. q.24. n. 39. & seqq. Vultej. de feud. lib. 1. c. 11. n. 110. Rosenthal. de feud. c. 10. conclus. 42. num. 48. Carpzov. p. 3. c. 32. def. 1. & seqq.*

& seqq. Limitationem tamen constituunt Dd. in illis fructibus, qui tardiùs percipiuntur, ut vindemiarum, hos enim Vasalli heredibus allodialibus addicunt Dd. etiamsi post Augustum mens. Septembr. decesserit Vasallus. *Hartm. Pistor. dict. loc. num. 49.* Ubi verò fructus successoribus feudalibus obveniunt, impensas heredibus Vasalli restituendas esse, docet *Hartm. Pistor. cit. loc. n. 72.* Civiles denique fructus pertinent ad heredes allodiales, si dies eorum vivô Vasallô venerit; si verò post mortem Vasalli, pro rata temporis inter successores allodiales & feudales divendendos esse, statuunt Interpretes nonnulli *arg. d. l. 7. solut. matrim.* Alii tamen contrarium asserunt, atque fructus civiles, quorum dies defunctto demum Vasallo cedit, successoribus feudalibus adjudicant. Vid. *Rosenthal. de feud. c. 10. conclus. 117. Vultej. de feud. d. c. 11. n. 111. atq; Carpzov. p. 3. c. 16. def. 6.* Quid de Jure Saxonico circa fructus tùm naturales, tùm etiam civiles, statutum, patet ex traditis *Carpzov. cit. Constit. 32. def. 1. 2. & seqq. atq; Richter. decis. 56. n. 10. & seqq.*

XXIIX.

Meliorationes tandem quod attinet, satis expeditum est, quòd de Jure communi feudali unà cum feudo ad successores feudales non transeant, sed heredibus allodialibus Vasalli cedant. *2. F. 28. §. Si Vasallus.* Jure namq; allodialium censentur, *Schrader. de Feud. part. 10. sect. 18. n. 127.* in tantùm, ut & filiabus earum nomine jus retentionis competat. *Mev. part. 3. decis. 368.* Optio tamen communiter feudi successoribus relinquitur, an pretium ædificiorum ac meliorationum solvere, an verò pati velint, ut ædificia & meliorationes tollantur, *d. §. Si Vasallus &c.* nisi æquitatis ratione, aut negotii qualitate commotus Judex aliter statuat. Ejus siquidem officio incumbit,

bit, rem hanc ita temperare, ne qua nimia in alterutro versetur captio, ut non minùs eleganter quam doctè deducit *Hartm. Pistor. lib. 2. q. 42. n. 4. & multis seqq.* quem sequitur *Berlich. p. 3. concl. 42. num. 2. & seqq.* Quidnam verò heredes in casu, ubi successores feudales meliorationum pretium solvunt, consequantur, an tantùm, quantùm impensum, an verò præsentem saltem æstimationem, demonstrat *Mev. p. 3. dec. 41. n. 2. atq; Stryck. Exam. Jur. Feud. c. 22. n. 17.* Jure Saxonicô ædificia solo cedunt feudali, sive utilitatis, sive voluptatis gratiâ exstructa sint, ut successores allodiales defuncti eorundem impensas exigere nequeant. *Carpzov. p. 3. c. 31. def. 1. & 2.* In aliis verò meliorationibus dispositio Juris feudalis obtinet, quare etiam in foro Saxonico ad heredes Vasalli pertinent, teste *Carpzov. cit. Const. 31. def. 3.* Atque hæc sunt, quæ de *Successoribus allodialibus & feudalibus* per breves theses, summô quasi digitô, demonstrare volui. Restant plura de eorundem convenientiâ & disconvenientiâ, non solum in feudis nobilibus, sed etiam regalibus. Sed hæc aliâ occasione cum thesium præsentium uberiori deductione, DEô dante, evoluturus sum. Pro nunc Lectoris Candidi benignam censuram mihi polliceor, DEoq; gratias sub fine hujus Dissertationis persolvo humillimas.





I.

BEINHART est natus *Patre*, juris
lumine claro:
Editus est & *Avo*, Legum ju-
risq; perito:
Prosatus & *Proavo* est, præclaro
juris asylo
Illustri in *Swartzburgiaco* quondam
comitatu:
BEINHART Consultus juris lauda-
bilis ipse
fiat, & *Altorffo* redeat feliciter,
opto

& quidem ὁλοψυχῶς

JUSTUS Söffing/ SS. Theol. D.
Superint. Rudolphstad.

II. Ad

II.
Ad
Clarissimum
DN. CANDIDATUM.

DUros *eccè tuos compensat* honore *labores*
Nostra Themis. *Grator, faustaq; cuncta precor.*

Honoris ergò
addit
AHASV. FRITSCHIUS.

III.

DUm *Successorem* docto certamine sistis, (brabéa dabit.
En, Tibi justa Themis digna
Hoc de *successû* testor, BEINHARTE! secundo
Gaudia, & exopto prospera quæq; Tibi.

Hisce DN. CANDIDATO, *Supremos Juris Honores faustos esse jubet*
HEINRICUS Linck / D.
h. t. Fac. Jurid. Univ. Altdorff. Decanus.

IV. *Or-*

IV.

ORnat TE pietas & clara scientia juris;
Quare non ornent clara brabéa caput?

Honoris & amoris
ergò f.

JOHANN. Sulßner/
Consil. Schwartzb.

V.

Χαίρειν καὶ εὖ πράττειν!

FLORET. AVITUS. HONOR. SIC. IN. TE, PROLE. CELEBRI.
BEINHARDI! TITULO. HOC. OPTO. FRUARE. DIU.

αὐτοσχεδ.
addit

M. Jo. MICH. Schwimmer/ R. R.

